

ricatores occidi iubentur : *Omnis, qui polluerit illud morietur.* Et similia. Sunt et frequentes clades, quibus executioni mandata sunt ea decreta; ut in filios Aaronis Nadab et Abiu, qui quod profano igne adolerent thymiana, repente ab igne sacro correpti, et combusti sunt, Levit. X. filii Heli, Ophni et Phinees, qui rem sacram varie violabant, ambo uno die in prælio occisi sunt, I. Reg. III. Oza, quod non existens sacerdos, sed levita dumtaxat, arcam tetigerit, subita morte concidit, II. Reg. VI. Balthasar rex, dum e vasis templi sacris comedit et bibit, a Persis et Medis interemptus est, Dan. V. Sub lege vero nova multo plures huiusmodi clades acciderunt; quæ ex parte recensimus in tripart. op. conc. dom. IX. post pent. c. VI. Rursum in auctario, conc. dom. X. post pent. th. III. p. III. de rustico, qui in Styria audita a se missæ meritum utique ex contemptu vendidit nobili viro pro sago ipsius: eoque accepto est repertus a nobili domum reverso, suspensus in arbore, ex Ænea Sylvio, in descript. Europæ, c. XXI. Simile eventum habuit boni operis contemptus in Euelione quodam Constantinopolitano, qui, tenente imperii gubernacula Justiniano, constitutus in periculo mortis, pauperibus triginta libras argenti distribuit: post revalens ductus est penitentia beneficii præstiti. Igitur amicus quidam, ut insanum hunc dolorem ei excuteret, instituit, cumque se operam ludere cernere dixit: *En paratus sum restituere tibi triginta illas libras, modo in templo me præsentem Deo profitearis: Domine non ego triginta libras in egenos dispersit sum, sed hic amicus meus.* Conditionem accepit, protestationem fecit, pecuniam recepit, sed non diu ea gavisus est. Cum enim Ecclesiam egredi parat, argento suo onustus, humi procumbit, et animam exhalat, Raderus in viridario ss. ex menæo Græc. Baron. anno 553. ex Cedreno. Nimirum bene dixit Ecclesiastes, cap. V. *Displicet Deo infidelis et stulta promissio.* Peractum opus bonum, adeoque Deo jam sacratum, pecunia divendere: quod aliud non est, quam res sacras in foro prostituere, et profanas reddere. *Nolite errare,* ait apostolus, *Deus non irridetur,* ad Gal. VI.

Hi sunt potissimum, quos reperi obnoxios inopinatæ morti; quam proinde maxime cavere quisque et potest, et debet. Repentinam enim, nisi hanc improvisam habeat adjunctam, non est, quod metuamus, nisi forsitan aliquis temere se in periculum mortis conijcere, adeoque sciens, volens velit perire.

Atque hæc eo dicta volumus, non quod arbitremur defunctum nostrum hunc infelicem obitum esse sortitum; sed pro bono nostro, ut nobis

caveamus, ne, ut quibusdam accidit, similiter pereamus quemadmodum monuit Christus, Luc. XIII. de illis Galilæis, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis eorum: *Putatis, quod hi Galilæi peccatores fuerint, quia talia passi sunt. Non dico vobis sed nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Idemque repetit de illis decem octo quos obrivit turris Siloe. Sint ergo infelices aliorum reorum exitus et supplicia, nobis ad penitentiam incitamenta.

CONCIO XXXVII.

MORTIS HORAM CUR INCERTAM ESSE DEUS VOLUERIT.

THEMA.

Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.
Matth. XXV.

Memini me legisse, in Brasilia novis orbis occidentalis regione bestiam degere venenosissimam, quæ hominem dicto citius occidit. Ne autem grandia nimis damna humano generi inferat providit creator hunc in modum: posuit in capite ejus cartilaginem quamdam ad instar nolæ resonantem: cujus sonitu homines periculi venientis admonentur, et bestiam effugiunt. Nulla in terris bestia magis venenosa est ipsa morte, quæ non unum aut alterum, sed omnes omnino homines sensim, et quod pessimum est, incautos depascitur. Hanc imperitum vulgus sibi imaginatur, velut monstrum aliquod horridum, vel larvam hominis funestam. Cujusmodi larvatus impostor sub mortis specie in Hungaria, anno sæculi XXII. vel XXIII. pagos obambulabat, et e simplici plebe metu cædis inferendæ, pecunias emungebat, non inani successu, postea tamen ab Haidone trajectus et spoliatus, ut scribit P. Max. Sandæus, de morte, l. II. symb. LVII. De hac igitur cogitare possent isti: *Eccur Deus, et huic tam rapaci et venenatæ bestiæ nolam non affixit, quæ adventantem proderet, ut fugæ locus esset? Profecto etiam sapientiores, qui melius norunt mortem, quidnam ea sit, non dissimili dubio laborant, quamobrem nobis Deus adventantis horam mortis incertam esse voluerit.* Obruit enim incautos et sæpe imparatos, in omni ætate, ut nemo uspiam securius, nemo ab ea liber sit. Sed enim nemo prudens sibi persuadeat sine numinis providentia hoc esse constitutum, quinimo magnas et urgentissimas esse decreti huius causas; quas hic investigabimus.

I. Causa est politica, eaque gemina. Nam imprimis, si nossent homines diem mortis suæ, sibi tantum viverent ac providerent, non posteritati. Plerique arbores non sererent, vineas non plantarent, domos non extruerent: plurimi omnia sua absumerent, posteris nil relinquerent de suis facultatibus: imo aliqui ex mera invidia sua plane perderent, defoderent, aut in flumina projicerent, ne posteri ejus gauderent. Si enim vel sub incerto mortis adventu reperiri homines, Isaias, c. XXII. ait, dicentes: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur,* quid fieret si hoc cras futurum certo præviderent? Exemplo sunt insani milites, qui cum e loco migrant, quo reversuros se non putant, omnia devastant, quæ vel abligurire, vel secum auferre nequeunt. Nec defuere luroones egregie Epicurei, dicere qui non erubescant, se vel vini cantharum, si ad pedes morientium staret, in agone suo eversuros, ne quid reliquum foret. Quid agerent hæc noxæ, si mortem præviderent? Deinde pax et tranquillitas inter homines magnopere violaretur. Qui enim scirent se multis annis victuros, iras et inimicitias suas prosequerentur, nimium insolescerent, et tyrannice alios opprimerent. E contra qui scirent brevi tempore se victuros, dejecto semper animo et desperabundo degerent adeoque, non tantum, sed et aliis etiam molesti et onerosi forent, ac velut Cain profugi circumirent mortem ubique metuentes, timore inutili et pernicioso, multi in desperationem caderent, præsertim qui natura pavidi sunt; unde eorum penitentia coacta, et parum utilis esset. Modo autem quia semper aliquantula spes vitæ superest, locum non habet nimia illa anxietas: et ex altera parte periculum præsens monet, ut homo disponat domui suæ sicque intra spem et metum retentus commodius et fructuosius præparare se ad mortem potest. Minus itaque prudenter Julius Cæsar inopinatum sibi mortis genus optavit, apud Suet. et Plut. in apophth. quod et obtinuit confossus viginti et tribus vulneribus. Quia scilicet mors inopinata et repentina anxietatem adimat: hominem tamen indispositum maximo salutis cum periculo opprimit.

II. Est, quia si novisset homo finem suum ultimum plurima bona opera intercederent et omitterentur. Nam si, v. g. ægrotans sciret, se in ea, qua detinetur, infirmitate non moriturum, peccata per confessionem nondum expiaret, nec sacra se communionem pasceret, Deum et sanctos non invocaret, vota nulla faceret, nihil elemosynæ in pauperes erogaret, sacrificia pro se offerri non curaret, injurias non remitteret, inimicitias non deponeret, vitæ emendationem

non promitteret, sed omnia hæc differret usque ad ultimam vitæ horam: adeoque Deo facem dumtaxat e vini sui dolio propinarent, reliquum omne mundo et diabolo apponerent. Audiamus de hoc Chrysost. ho. IX. in ep. ad Thessal. « Si scire vultis, inquit, quamobrem absconditus sit dies mortis, et quare sicut fur in nocte, ita ipsa veniat: ideo hoc est, quia nemo virtutis unquam curam quod ad omnem vitam attinet habuisset, sed cognito quisque consummationis suæ die, postquam innumera mala perpetrasset, tum demum baptismi lavacrum (idem dic de aliis bonis operibus) accepisset atque ita hinc migrasset. Si enim nunc timore incertitudinis, cunctorum animos turbante, omnes universam anteactam vitam in malitia consumantes ad extrema demum suspiria, baptismati se tradunt: si etiam essent admodum de isto persuasi, quisnam ulla virtutis curam haberet? » At non deceat, neque placet Deo ut in fine vitæ solum ei serviatur ex proposito: sed potius ut omnem vitam obsequio ejus impendamus, quia totam ei debemus. Hinc noluit Christus ad questionem illam de eversione Jerosolymæ, et die iudicii propositam a discipulis: *Dic nobis quando hæc erunt?* respondere categorice, sed potius inculcare vigilantiam, ut semper in expectatione sint. Hinc etiam subinde terret nos per ostenta, uti per cometas, quasi per virgas nobis intentas, nec tamen denuntiat, quid sibi velit, aut quando eventus expectandus sit. Vult enim nos quasi ludi moderator pueros a torpore ad resipiscantiam, et bonorum omnium studium excitare. Sic monuit Ludovicum Pium imp. per cometam, qui anno 827. apparuit. Inde enim ipsa ad majorem excitatus fervorem dixit: « Quia ergo et me, et omnes communiter hoc ostentum tangit, omnes pro posse ad meliora festinemus, ne forte misericordiam illo prorogante et nostra penitudine impediante, nos illa inveniamur indigni. » Quo dicto noctem illam orationibus pervigilem duxit, elemosynas erogavit, missas celebrari jussit, apud Baron. anno 840. Ob eandem causam excitavit ad continuum virtutum studium S. Henricum imp. per scripturam illam: *Post sea,* ad sepulcrum S. Wolfgangi Ratisbonæ in templi pariete visam. Existimans enim denuntiatam sibi mortem post sex dies cepit se ad illam ex amussim præparare, postea ad sextam hebdomadam; ex hinc ad sextum mensem. Cumque necdum impleteretur omen, denuo resumpto fervore sextum expectavit annum. Sic factum ut totum illud tempus pietati impenderet, Raderus in Bavaria s. Hæc de causa Deus, Psal. VII. inducitur quasi semper mirabundus, quo modo

pingi solet balistarius, cum arcu extenso quasi mox ejaculaturus, et in omnes collimans, undemque aspiciatur. *Nisi conversi fueritis, arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis.* Ea nimirum, quæ morientibus adhibentur quæ vel morbos cient.

III. Est, ut refrænet nos a peccandi libidine et pertinacia persistendi in peccatis. Quando enim nossent homines terminum vitæ suæ, vix ullus resipisceret et pœnitentiam ageret ante illum terminum. Dum vero eum nesciunt, semper metuere coguntur. Unde S. Gregor. hom. XIII. in evang. ait: « Horam ultimam Dominus noster voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta: ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Et I. III. moral. c. X. in ea verba Job: Spiritus meus attenuabitur, et dies mei breviabuntur, ait: « Reproborum mentes idcirco multo nequiter agunt, quia hic se vivere diutius arbitrantur. » Propterea Deus Adamo prævaricatori non dixit, quando esset moriturus, sed indefinite: *In sudore vultus tui vesceris pane donec revertaris in terram, de qua sumptus es,* Gen. III. non ait: Donec compleveris tot, vel tot annos vel dies, quo nimirum statim a peccato resurgere conaretur, dum nullum sibi terminum præfixum haberet. Si præsidarii milites diem et horam adventuri hostis prænoscent, toto præcedente tempore lusui, potationi, somno sese dederent, adeoque ad resistendum hosti fierent ignavi. Dum vero tempus ignorant, semper in excubiis et in armis stant. Sic Hannibal dux Africanus, quamdiu Scipionem antagonistam suum instare sibi sciebat, arma nunquam exiit, nisi ducibus vigilantibus. Quis potentior hostis morte? Scimus vero eam nos aliquando adorituram, cum minime existimamus, quis ergo advigilabit? Quis non omnes dies suspectos habeat? *Latet ultimus dies,* inquit S. Aug. I. de doct. chris. *ut observentur omnes.* Si tu certa relatione cognosceres, e septem amicis, a quibus singulis conveniendus esses, unum clam gestare pugionem ad te conficiendum, nonne timeres omnes? Nonne contra singulos quam optime te armares? Quid autem aliud sunt septem hebdomadæ dies nisi totidem amici, saltem ad speciem? Et tamen inter eos unus mortis spiculum gerit, quod tibi infiget, cum securum te putaveris. Quod si nunc, dum nescimus, qua hora Deus nos ad iudicium abrepturus sit, pluri tam temerarii ac dissoluti sunt ut se totis annis somno vitiorum dedant quasi cum Deo pactum iniissent, se invitos aut imparatos rape-ret; quid non scelerum attentarent, si præfinitum sibi tempus scirent? Non decebat igitur

tam late patens ostium aperiri lascivientibus. Sepiendâ illis via erat spinis imminenti ubique mortis, juxta verbum Christi Matth. XXIV. *Si dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire, et cæperit percutere suos conservos, manducet autem et cum ebriosis, veniet dominus servi illius in die, qua non sperat et hora qua ignorat, et dividet eum* (a consortio beatorum) *partemque ejus ponet cum hypocritis,* h. e. servis pigris ad oculum servientibus.

IV. Est, quam addit S. Chrysost. hom. IX. in ep. ad Thessalon. « Si enim perspecta esset mortis hora, neque viri fortes habuissent mercedem. Si enim scirent, quod omnino post tres annos oporteret excedere, nec ante illos posset fieri, quamnam haberent mercedem, si res graves et asperas auderent aggredi? Eis enim quispiam dixerit: Quoniam pro tribus annis bono et fidenti estis animo, propterea aditis pericula. Qui enim expectat fore ut ex quovis periculo moriatur, et scit fore quidem ut vivat, si non præceps et temerarium capiat consilium; ut moriatur autem si ea temere et audenter aggrediatur, maximum protulit indicium animi sui alacritatis, et quod hanc vitam despiciat. Exemplo autem hoc vobis faciam manifestum. Si patriarcha Abraham præsciens fore, ut filium non occideret, eum sursum duxisset, habuissetne aliquam mercedem? Quid vero si præscivisset fore ut non moreretur, despexisset pericula, quoniam modo fuisset admirandus? Sic enim vel ignavissimus in ignem desilierit, si aliquem fide dignum habere sponsorem, quod tutus sit futurus. Sed tres pueri non sunt hujusmodi, verum audi eos dicentes: Est Deus in celo, qui nos eripiet e manibus tuis, et ex hac fornace. Quod si non tibi notum sit, quod diis tuis non serviemus, et auream statuam, quam statuisti, non adorabimus. Vide quam multa sint luca et his plura ex eo quod ignoretur decessus. » Sic ille. Tametsi igitur demus profuturum ignavis, si præfixam sibi nossent mortis horam, ut saltem in fine resipiscerent, nocerent tamen illis viris fortibus et heroicis quominus designare præclara facinora possent. Ita idem s. pater respondet iis, qui censebant delendum fuisse inimicum generis humani, ne deciperet homines. Ait enim in orat. de Providentia, tom. V. « Si reliquit eum sciens futurum, ut vinceret, nec sic est res digna, ut vocetur in dubium. Nam quod ille superat a nobis est, cum inclinamur volentes non cogitamur. Quod si multi fuerunt jam superiores, et multi posthac erunt, quare futuros in existimatione tanto privas honore? Sed non omnes erunt illo superiores generosos, tamen

est multo justius, occasionem habere, in quibus institutum probent; ac eos, qui tales non sunt, puniri de propria socordia, quam propter hos, istos affici damno. Malus enim, etsi patitur injuriam, non tamen ab adversario, sed a sua segnitie quod multitudo vincientium declarat. Verum tunc essent læsi a malis boni, si non haberent, ubi fortitudinem exercerent. Sic autem oris etiam et oculorum affectionem accusare poterunt.

His enim appetunt multi, quæ appetere non convenit, etc.

Satis opinor momenti hæ rationes habent. Laudandus igitur Deus est, quod horam illam ultimam nobis absconderit. Et profuit hoc, ni fallor, nostro defuncto, qui propterea ad hanc horam multo ante, quam adesset, sese præparavit, etc.